


P. FRANCISCUS XAVIERUS LASCANO

MOHNTS DE LASCANO

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



P. FRANCISCUS XAVERIUS LASCANO

SOCIET. JES. PISSIMO

BEATÆ VIRGINIS

AMANTISSIMO CULTORI.

MIRACULOSAM Virginis Guadalupanæ Mexici supremi Numinis digito depictam Imaginem, totus Orbis adorat; cum ejus pulcherrima exemplaria quaquaversus diffusa, decoris et speciei magnete ad amorem ubique gentium et reverentiam allierant. Mirabilem supramodum istius originem exterorum plurimis hactenus ignotam, tibi offero. Inaudita leges sed vera insimul ac magnifica. Duorum sæculorum perenni stabilita traditione et totius Septentrionalis Americae testimonio munita (*Ps. 147, V. 20*): Non fecit taliter omni nationi dices, his lectis. Fateor; et accipe pro responso verba Joannis (*Epist. c. 1, V. 1, 2, 3 et 4. Quod fuit ab initio &c.*).

Decenio post subjugatum Christo Domino Imperium Mexicanum, sabbato quinto idus decembris, pius e plebe Neophytus Ioannes Didacus nomine e vicino oppidulo suo Mexicum ad Sancti Francisci Aedes sacris assistendi audiendæque catechesis adibat desiderio. Cum e parvi montis Mexico tria milliaria dissiti radicibus, quæ iter est, cœlestis harmonia Ioannis oculos evocat in montis cacumen. In eo videt Iri circumcinctam Cœli Reginam. A qua vocatus, be-

nignissimeque acceptus jubetur Episcopum Venerabilem Ioannem de Zumarraga Minoritam adire, templum que ibidem loci, suo sibi nomine postulare, quod profecto totius huius orbis foret asylum. Audita Episcopus legatione metuens ne quid doli subesset multa sciscitatus á legato eum in præsentius tempus dimisit quasi rem maturius consulturus. Reddit Ioannes ad Virginem in eodem montis cacumine illum expectantem responsoque Episcopi exposito suam causatus vilitatem precatusque ut miteret cui major fides haberetur, iussus bono animo esse jubetur iterum altera die Episcopum adire secundoque templum postulare.

Ad iteratam Episcopus legationem suspensus animi mitius ac pridie Legatum alloquitur ait que illi se libentissime pariturum accepto alio clariore signo Virgineæ voluntatis. Recipit Ioannes petiturum et abiit. Mittit Episcopus e suis familiaribus duos qui aliquanto a longe Joannem secuti sedulo observent quocum loquatur in monte. At ubi ad huius pervenit radices, ex eorum oculis evanuit ut ab eis toto monte diligentissime quæ unto situs inventus non sit, dum reduces apud Episcopum magicæ Neofitum criminantur. Beatissima Virgo responsum petitionemque Episcopi cognoscit ex Joanne, signumque sequenti se die, feria scilicet secunda, daturam pollicetur. Ea Joannis ad Virginem redire non potuit invento domi Joanne Bernardino patruo suo posito in extremis. Neque feria tertia rediisset Sacerdotem acciturus, qui patruo suo Ecclesiæ sacramenta ministraret moribundo. Ne igitur a Deipara detineretur, si qua alias iter faceret, opposita pergit via, sacerdotem vocaturus; sed frustra. Nam occurrens illac Piissima Virgo solatur illum, securumque reddit de Patruo salute, quam illi tunc apprensus concesserat, jubet illum montem subire, floresque legere Episcopo ferendos in signum.

Ergo collectos flores, Virgineis ipsa Deipara manibus, vi-

li componit in ricino, id est, inopum pallium Indorum, præcipit, uti ad Episcopum ferat, nullique ostendat in via. Ricinum per vim explicare conantes Episcopi familiares, nullum tamen florem tenere potuerunt; et si putantes in eo arte phrygia elaboratos. Ut coram Episcopo Ioannes pallium expandit, veris, bellissimis recentique rore madidis floribus decidentibus, in eodem ricino non modo supra, verum et contra omnia picturæ præcepta apparuit quam veneramus Beatissimæ Virginis Imago GUADALUPANA, parvo suffulta cherub, regio diademate insignis, manicata, et infra talos promissa tunica partim candidi, partim coloris punici: adhæc exigua cruce in collo depicta junctis que manibus ad pectus, vultu Indæ puellæ placidissimo, leniterque dejectis oculis: adeo Apocalipticæ quam simillima ut et sol centum et duodecim radiis picturæ totam oram ambiat et luna sub pedibus ejus aspiciatur; nisi quod pro duodece quibus illa coronatur stellis, sex supra quadraginta in cæruleum hujus peplum dispersæ numerentur. In ea nihil non mirum pictura e floribus media hieme e solo spinarum folum feraci collectis in linteo adeo levidensi ut a tergo velut per transeam templum videntibus facile pateat: quin post duo sæcula nitrum vicini lacus quod argentum, aurum, et æs erodit summam ejus pulchritudinem vividissimosque colores, vel levissime violaverit.